



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Bona Volvntas Optimæ Consentiens. Seu De Sequendo In Omnibus Ductu Providentiæ Diviniæ

Foullon, Jean E.

Leodii, 1657

VII. Malum Culpæ, & Pœnæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54992](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54992)

arsère villæ, periére pecora: impotentes domini miserum subditum depauperavère, milites spoliavère, latrones diripuère: ipse ego intemperantiâ meâ morbos mihi accersivi, peccatorum veterum novas quotidie pœnas à me invitus repeto. Inter tot peccantium voluntates quo pacto divinam voluntatem adspiciam? Bona hæc sit, & bonum velit, ac faciat: at hæc malæ sunt, malumque volunt & faciunt. A Deo tu ista esse dixeris, quæ peccata sunt, & Deum mali auctorem feceris? Cur ergo Davidis illud laudatum: *Melius est mihi incidere in manus Dei, multæ enim misericordie ejus sunt, quàm in manus hominum?*

VII. Ut huic difficultati satisfiat, *Malum Culpa, & Poena.* Theologi passim in peccato distinguunt mala duo, Culpæ unum, alterum Poenæ. Culpæ malum, inquit, Deus directò & absolutè velle non potest, permittit tantùm, & utique non permittit, nisi volens permittere. Malum poenæ, cum culpa conjunctum, planè & directò vult. Genesis cap. 4. Abel cum Caino.

Caino prodit in agrum, postquam Deus respexit sive inflammavit super munera ejus, Cain invidiâ turbatus in Dei providentiam invehitur, ut narrat Hierosolymitanus paraphrastes. Contra loquente, ut oportuit, Abelo, jurgium enatum, & ferocior ac fortior primogenitus mactat secundogenitum, quem idcirco aiunt vocatum Martyrem Providentiæ divinæ. In eo Caini peccato spectanda duo sunt: Primum, culpa homicidii, quam cæde fratris contraxit; Deo, etsi posset impedire, nolente tamen: permittente itaque, & permissionem volente ob causas justissimas. Alterum est pœnæ malum, quod ex Caini culpa transit in Abelem: diffra-ctio capitis, vulnus, mors. Culpa manet in Caino: Pœna est in Abele. Hanc Deus omninò voluit, id est, damnatâ causâ probavit effectum.

VIII.
*Voluntas Dei
quas in pec-
cato partes
habeat.*

Rem eandem alii alio modo explicant. Tria considerant ex parte Dei, Voluntatem permittendi peccati, Causam permittendi, Voluntatem cooperandi.
Crimen